



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 38. Maximiliani Imperatoris exercitus in Italia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. rum angustias Venetorum res decreve-  
A.C. 1509. rant, ut nonnisi sinus sui Insulas defen-  
 dere amplius possent.

## §. XXXVIII.

*Maximiliani Imperatoris exercitus in Italia.*

*Ciacon. in  
 Jul. II.  
 tom. 3. p. 224  
 Raynald. ad  
 an. 1509. n. 2.*

Denique etiam Imperator non nisi septem leucis ab Oeniponto distans ad Alpium fauces cum exercitu suo jam ineunte Mense Junio penetravit, Venetos ex Tirolis finibus aggressurus. Præerant ejus copiis Christophorus Francipanus & Brunsvicensis Dux, qui exigua militum manu in Histriam excurrentes, Tergestum citra pugnae discrimen occupant, omnesque Fori Julii urbes, quas in nupera contra Venetos expeditione Cæsar amiserat, recuperant. Nec tamen Respublica fatali malorum concursu animum despondit, sed comperto, quod Cæsar Esteranem adventasset, mox ad sedandum ejus animum legationem decrevit, quæ pacem ab illo exoraret conditionibus illius arbitrio penitus relictis. Pari submissione summum Pontificem, & Ferdinandum Arragoniæ Regem placare satagebant: ad Imperatorem porro ablegabant Antonium Justinianum, dato negotio, ut eidem subscriptis omnium Senatorum nominibus chartam vacuum offerret,

*Marian.  
 l. 29. n. 83.*

ferret, cui Cæsar id, quod præplaceret, inscriberet, salva duntaxat miserorum civium vita, utpote qui ejusdem clementiam implorarent, rogarentque, ut in fidem suam reciperet urbem, quæ Cæsareæ suæ Majestatis pietati, atque magnanimitati salutem, libertatemque suam unice se debere, semper professura esset. Ceterum adeo insolita erat oratio, quæ a Veneto Oratore in hac occasione pronunciata fertur, necnon apud Guicciardinum legitur, ut eam huc referre operæ pretium ducamus, quamvis non desint Scriptores Veneti, qui eam in dubium vocant, ac Guicciardinum calumniæ, & falsitatis postulant, eamque ab hoc Auctore Italo ex proprio cerebro confictam, quam plurimis rationum momentis demonstrare conantur.

Sæcul. XVI.  
A. C 1509.

Jo. Bapt.  
Leoni.  
Petr. Just.  
l. II2.  
Spond. hoc.  
ann. num. 4.

§. XXXIX.

*Justiniani Venetorum Oratoris ad Cæsarem oratio.*

Igitur Justinianus adducto Scipionis Africani, Alexandri, Cæsaris, aliorumque exemplo, qui clementia, ac moderatione celebriores, quam armis evasere, Maximilianum quoque Imperatorem ad parem lenitatem flectere nitebatur, eumque, ut illorum vestigiis inhæreret, instanter rogabat, hanc in sententiam per-

Guicc. hist.  
Ital. lib. 8.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXXII. D orans,*